

monem miscet. Canonici huic cibum præbent, quæ ille qualem qualé boni consulit. Non indulget somno nisi post mediam noctem, idc̄q; in plateis. At in die quæ dominicæ cœnæ dicata est, ad templum reducitur, & à sacerdote non absque longis, sed pulchris ceremonijs absolutus, à plebe stipē accipit. Hunc Adamum uocare solent. Atque hoc est quod nonum caput Agathensis concilij præcipit, & refertur etiam à Gratiano distinc. L. Est autem tale. In capite quadragesimæ omnes publice pœnitētes qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiā, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, uultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu & uultu proclamantes. Ibi adesse debēt Decani, id est, Archipresbyteri, Presbyteri parochiarum, & presbyter pœnitentū, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent. & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus iniungāt. Post hæc episcopus in ecclesiam eos introducat, & cū omni clero septē pœnitentiæ psalmos in terram prostratus cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam super eos benedictam spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspirijs eis denunciēt, quod sicut Adam proiectus est de paradiso, ita & ipsi ab ecclesia pro peccatis suis abijciuntur. Post hæc iubeat ministris, ut eos extra ianuas ecclesiæ expellant. Clerus uero prosequatur eos cum responso: In sudore uultus tui uesceris. & cætera. ut uidentes sanctam ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autem domini cœna, rursus ab eorum decanis, & presbyteris ecclesiæ liminibus repræsententur. Hactenus decretum Agathensis concilij retulimus. Porro de secreta ista confessione re longe saluberrima qua hodie ecclesia utitur, Decretum Vuormaciensis concilij reperi, in hunc modum: Si quis pro aliquo criminali peccato ad nos pœnitentiam acturus uel suscepturus accesserit, oportet nos in primis rei ueritatem ad liquidum interrogando discutere. Deinde si fidem rectam & Christianam credulitatem fideliter pronunciet, id est, Pater noster, & Credo in deum, quam statim coram nobis memoriter canere compellatur. Et si talis persona est quæ non intelligat, neque etiam bene illam memoriter teneat, exponamus illi prout tunc necesse est. Et ut melius nobis statuto die reddat, præcipiamus. Præterea studiosè perscrutādum, an diuersis erroribus sit implicatus: sicut quidam increduli, lapides, lucos, arbores, & huiusmodi uanitates relicta ecclesia uenerantur, & uanissimam phantasiæ deceptionis illusionem in somnijs obseruant. Inquirendum etiam ab eo si uelit pro Christi amore omnem iracundiam dimittere illi cui inimicus est.

b 3 Aut

Cont̄ visiones ueras — yudei illi loquūti

Ceremoniis omnium equare uoluerunt

Presbyter pœnitentium. *sanctificationes habens originem*

Miror qd christiani in tantis pœnitentijs uersentur infideliter

Clerus nō in sudore: sed in uoluptate uult uesci pauca suo

vide psalmicam corinthios de uino uerbo nihil loquūti sunt

Prohibuerunt visiones in Vuormaciensi corinthios